



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Tertia die Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

conflagrantibus. In medio tamen chori sculptura superest Gallicis verbis, quæ Latinè sonant, Hic iacet nobilis homo, Iohannes Comes Sueffionensis, dominus Chimaci, qui apportauit corpus sanctæ Priscæ de partibus Romæ, qui obiit anno millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. Homo pro vero.

Est autem Chimacum, Hannoniæ ciuitas, diocesis Leodiensis, duabus filiis, Fania & Theoracia interclusa, sub ditione & principatu ducis Arscorensis.

Tertia die Iulij.

1^o. De sancto Guthagone confessore.

Ex lectionibus in Oostkercka, quas accepi à Domino Mathia Laurentiano, Pœnitentiario Brugensi.

IN Oostkercka, burgo Flandriæ, sancti GUTHAGONI confessoris, regis Scotiæ, qui ibi peregrinus pro Christo, in pace quieuit. Hic, sicut suæ posteritati antiquitas reliquit, creditur dum viueret, regalis fuisse dignitatis, sed considerans omnia esse vanitatem, quæ sub cælo sunt, in Flandriam peruenit. Vbi circa littora maris in vicino de *Knocken* aliquamdiu sanctè est conuersatus, & à clericis ac laicis Oostkerckæ cum deuotione sepultus, in occidentali parte cœmeterij. Sed Domino per eum crebra miracula faciente, corpus iuxta ecclesiam est maiori veneratione reconditum, & capella super eum constructa, vbi nunc est ecclesiæ campanile. Ghillo autem, qui eidem sancto adhuc viuenti familiaris adhæserat, ab eo iam defuncto auelli non potuit. Qui etiam creditur post mortem claruisse miraculis. Nam tempore Gregorij Curati dictæ ecclesiæ, qui postea in Ordine Prædicatorum fratrum sanctè vixit, manum

Julij 3.

xit, manum aridam cuidam, ab eo misericordiam imploranti, restituit. Vnde dictus Gregorius metricè scripsit,

Contracto Ghillo scit opem conferre pugillo.

Sed ipius corpore in terra manente, beati Guthagoni corpus, Domino per eum multa miracula faciente, de humiliori loco in capsam meritis eius decētem transtulit Gerardus Tornacensis episcopus, anno millesimo centesimo quinquagesimo nono, quinto Nonas Julij, assistentibus sibi venerabilibus abbatibus, de Dunis, Oudenburgo & *Eeckhout*. Eandem capsam reuenter & deuotè aperuit ac visitauit Nicolaus episcopi Tornacensis suffraganeus, die primo Octobris, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, inuenitque in ea testimoniales literas dicti Gerardi episcopi, pontificali ipsius sigillo munitas, quæ adhuc inibi cerni possunt. Festum Oostkerckæ celebratur, die tertio Julij, & primo Octobris. Reliquiæ verò iam conspiciuntur in muro ecclesiæ per ferreos cancellos, minus fortassis decenter.

*Ex literis
Nicolni.*

2^o. *De allatione sancti Sidronij martyris.*

Sancti Sidronij corpus, qui sub Aureliano principe martyrio est coronatus, Roma allatum est Messenas, ab Adela filia Roberti regis, & coniuge Balduinij, Comitis Flandriæ. Quo loco anno millesimo sexagesimo quinto instituit Canonicorum collegium, & Benedictinarum monasterium, vbi etiam sacrum velamen, marito orbata, accepit.

a Videatur Meyrus an. 1062. & 1065.

Dic